AD

VIRUM

Magnificum & Amplissimum

DOMINUM

JOANNEM CZIMMERMANNUM,

Pro-Consulem Reipublicæ Thoruniensis,

Longe meritissimum, gravissimumqve;

Cum insperata morte Filium unicum ademptum

JOANNEM CZIMMERMANNUM,

Secretarium hujus Civitatis dignissimum

acerbe lugeret,

obseqviosissimus Cliens

J. G. ZOEBNERUS.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

PRæſentiſſimi doloris tenacitas, qvæ nullum fere interpretem admittit, mavult ſub humanitatis intemperie Affectui Tuo obſtrepere, qvam faſtidioſo ſilentio iniqviorem ſortem admirari. Paternum obteſtari non dubito animum, ex qvo cum filialis amor ſuum duxit, reduxitqve Spiritum, lenta ſauciatur ægritudine. Probe enim cognovi, qvam arcano ſtudio Naturae feratur bonitas; dum origini ſuæ inhaerens, per moleſtam avulſionem, nonniſi vitæ partem decerpere poteſt. Qvare ut reſideat, & à prima teneritudine deflectat innata Propenſio, eo minus optandum, qvam ſperandum, foret. Vix qvippe indoles indoli ita adverſari ſolet, qvo non in placida æqvalitate recumbat & ſvavi ducatur incitamento. Dubitaverim certe, in iſto fatorum conſilio, num majorem ſe iisdem præſtare præſtet, num minorem acqvieſcere, ſit potioris? Nec infitior ſanctioribꝰ Reipublicæ muneribus Te *Virum Magnificum* aſſvefactum eo meritis aſſurrexiſſe, ut excelſæ mentis compos inferiores vices tranſcendas, nihilominus tamen

Neceſſitate qvi minorem ſe gerit
Sapit ille vere, & conſcius cœleſtium eſt.

Qvis enim legem adamantinam æterno robore ſtabilitam eadem conſtantia perferat homo, qvi imbecillitati ſuæ perpetuꝰ aſſidere

debet.

debet. Est qvædam labes, qvæ inter bonam, sinistramqve partem tacita ducit confinia, & sibi ipsi tanta levitate implicatur, ne mutari ullo modo qveat. Qvanqvam igitur animus ultra casuum incerta nonnunqvam sese exerat, adhæreſcit tamen glebæ, & commiscetur, in qvam calamitatum & alternantis infortunii Chaos semper confluit. Neqve in foro divino excusaretut talis à rebus sublunaribus exemtio, qvæ considerando nihil desideret, & qvod aliis incendium, luminis loco, qvod prodigium, sideris instar, habeat & veneretur. Qvin & affectuum vires, si justæ relinqvantur mensuræ, non aliam ob causam, humanam mentem efformant, qvamqvod sint radices ingenitæ, qvarũ fructus in scena rerum mundanarum versanda, prout ceciderint, morantur & consistunt. Siqve in partem vasta illa orbis compages vocetur, cujus Svavissimum complexum exhibemus, qvævis tam sensibili motu concitantur, ut connexo qvasi dolore aggemant. Non tamen eo redit sententia mea, qvasi in non degeneris FILII necem *Optimus Parens* iteratum luctum planctumqve effundat, non avellendus. Inter enim ipsam virtutem qvi defungitur, nunqvam posteritati, neqve superstiti gloriæ deest. Nec obstat Flos juventutis, in præclara se se erigens Exempla; cum enim ille in germina adolevisset, longiorem ætatem præoccupare necessum habuerat. Sœpe obrepit non intellecta senectus incautos, anteqvam se vita dignos sentiant; jam autem *Vir Magnifice* magis ob vota ulterioris gaudii, qvam spem altioris frugis, qvæ plena erat, dolendum tibi sumis impallescentem FILIUM. Viles eqvidem curvæqve animæ toties moriuntur, qvoties suos amittunt, non vero Patriæ Culmina, in qvibus emines. Minime existimandum, qvod Decus Tuum in Filio distinxeris, qvale nunc jacturam haud vulgarem pati posset, nam qvod per stirpes propagatur, ita communicat, ut nihil capiat detrimenti. Hoc uno magnum decessit Felicitatis momentum, qvod *Tuus dulcissimus Joannes* dignitatem, qvæ ipsum expectavit, expectare ultro sustinuerit.

Scilicet novum cœli hoſpitem impatientia fragilitatis terris inviderat, ſpumasqve honorum, ſubſeqventi beatitudini longiſſime poſtpoſuerat. Ingens & derogatur ſolatii fiducia, de hæredio Virtutum paternarum, qvas magis fixa memoria; atqve literatus lapis conſervabit. Nihiloſecius, qvo acerbior illa clades, qvæ *Pectus Tuum* afficit, eo lætiori triumpho *pii* erunt *manes*, dum laudabilem vitæ hujus mercedem, pretioſum compenſabit auctoramentum. Sufficere poſſet *Tibi digniſſimo Patri* vidiſſe Filium, qvod per Naturæ gratiam illuſtre beneficium, nec tamen intra hoc ſubſtitit benignior ſors, qvæ æmulum & Ectypon dederat, donec indulſiſſet parem, & conamine & egregio ſpecimine, & civili munere, ubi ſolos gradus, per qvos jam dudum conſummato æſtimio redditus es, excipias. Credendum itaqve, delicias illas maturatas, qvas delibaſti, eo devenire oportuiſſe, unde apud nos terminum, apud cœlicolas ſua ducerent primordia. Hinc ut conſeneſcat luctus, ſuisqve adſtituatur metis, tum vovere, tum expetere meum eſt. Meum, inqvam, ſi tam beato mihi eſſe liceat, ut adſtrictiſſima Tuis ſtudiis, *Vir Magnifice*, facultas propioris aditus adipiſcatur libertatem. Qvod enim aeqva cervice decet tolerare, id demum ſuperaſſe alacriter inſigni cum fænore redundat. Convenit inſimul, tanti permittere animo, publica cura imbuto, qvanti in gravi malorum mole commune vulnus exaggerata ſanie non recrudeſcat. Contendent omnino, Cives, nec patientur ſibi eripi Conſulem, qvi Patris vicem tam ſerio adimplere cupiet. Sed nec priſtini illi rerum gerendarum Spiritus ad illætabilem gemendi ſolitudinem retundendi erunt, qvos Reſpublica ſibi vindicat & jure qvodam aſſerit. Cum ergo *Totum Te* debeas aliis, aliiqve *Tibi* toti devolvant ſua, vix demiſſo in interiora, publicis privata attemperare juſtum fuerit. Mihi de lugubri hoc funere, qvod & celeritate & gravitate funeſtiſſimum accerſivit dolorem, talia obverſantur Phœnomena, qve non eveſtigio ſunt diſparitura, & Matrem æſtumatiſſimam & Lectiſſimam Viduam, longis excitatura moleſtiis. Nec aliter infeſtum fulmen, qvod ante ferit, qvam flamma micat, ſuum proſeqvitur impetum, dum præfeſtina violentia attonitos qvosqve reddidit lamentabilis illa Cataſtrophe. Facile igitur dabis veniam, *Vir Magnifice*, ſi intercludant gemitus verba & ſuſpiria premant vocem, niſi tacite admoneat, DEum ut venerer, qvo avertens impoſterum tam duras fati leges pro ampliſſima familia Tua in perpetuum ſtabilimentum excubare dignetur. Dabam cIↃIↃCCVII. d. XVII. Febr.